

Et dicit esse nimiam eius quantitatem: Quoniam n. tam parum existit id, quod nobis de terra apparet, respectu totius ambitus terræ, ut mirum non sit, quod nobis planum id videatur: Quemadmodum si quis ex circumferentia maximi cuiuspiam circuli minimam partem abscederet, haud dubie a quouis illa particula seorsim considerata recta linea esse indicaretur.

Quod autem aqua habeat tumorem, & accedat ad rotunditatem, sic patet. Ponatur signum in littore maris, & exeat nauis a portu, & in tantum clongetur, quod oculus existentis iuxta pedem mali non possit videre signum: stante vero naui oculus eiusdem existentis in summitate mali, bene videbit signum illud. Sed oculus existentis iuxta pedem mali melius deberet videre signum, quam qui est in summitate mali, sicut patet per lineas ductas ab utroque ad signum: & nulla alia huius rei causa est, quam tumor aquæ. Excludantur enim omnia alia impedimenta, sicut nebulae & vapores ascendentes.

## COMMENTARIUS

CONFIRMAT hoc loco posteriorem partem propositæ tertiæ conclusionis; aquam videlicet esse quoque rotundam, duplici ratione. Prima est; si in littore maris ponatur aliquod signum notabile, nempe turris aliqua aut domus, exeatque a portu nauis; post aliquam distantiam nauis a littore, illi qui sunt in naui iuxta pedem mali, non videbunt amplius signum illud notatum: si vero quispiam conscendat tunc summitatem mali, ille adhuc videbit signum, atque hoc contingit seclusis etiam omnibus alijs impedimentis, ut sunt nebulae & vapores. Igitur manifeste sequitur, huiusce rei causam fuisse tumorem dimixtatæ aquæ interiectum inter nauem, & signum illud in littore. Nam nisi tumor aquæ esset impedimento, nimirum si aqua plana existeret, melius deberent signum videre illi, qui sunt ad pedem mali, quam is, qui est in summitate mali, cum illi sint hoc propinquiores, ut patet

